



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

NUMERUS OCTAVUS.

Syllabus summorum Pontificum, Regum, & Principum Christianorum, qui Urbani II. cœpta magno zelo, contra inimicos Crucis Christi persecuti sunt.

§. I.

MErè magnanima & boni Pastoris gregis Christi cœpta, totis viribus persecuti sunt, succedentes ex ordine Pontifices, Paschalis II. Gelasius II. Calistus II. Lucius II. sed maximè Eugenius III. qui anno Domini 1243. urgente Ludovico VII. Rege Francorum, & Sancto Bernardo, expeditionem in Terram Sanctam suscitavit; ac Sanctum Bernardum ad omnes Galliæ, & Germaniæ populos, qui eum ut Prophetam, & Apostolum suscipiebant, in eam concitandos auctoravit. Quare sequenti anno, omnium consensu Sanctus Bernardus totius Belli Dux & Princeps militiæ electus est. Verùm

fatis visum est Eugenio; si ille tubâ Sacerdotali clangendo, indiceret bellum, & tam verbis quàm litteris Christianos ad id excitaret: quod illum felicissimè sequentibus signis, & prodigiis innumeris præstitisse testantur acta vitæ ipsius, & epistolæ ab eo conscriptæ; nec non & Otto Frisingensis: sed magis ipse rerum successus; dum non solum Ludovicus Rex, celebrato apud Verzelacum Conventu, Crucem quasi Belli Sacri insigne, ab eodem Sancto Bernardo sumpsit, unâ cum multis regni sui Principibus, & Optimatibus; quos tam ingens populi multitudo secuta est, ut vacuarentur urbes & castella: sed ex ejusdem hortatu Conradus Romanorum Rex, generali apud Spiram Conventu indicto, æque Crucem unâ cum Fratre suo Henrico Duce Noricorum, aliisque Principibus & Nobilibus plurimis, etiam Polonis, adeoque Henrico Boleslai Regis Fratre, teste Cromero, *Lib. 6.* Polono accepit: quibus cum etiam signati sunt nonnulli Episcopi, atque inter alios ipse Otto Frisingensis, virtutibus & meritis clarus. Qui

demum addit, non solum ex Romano Imperio, sed etiam è vicinis regnis, puta Franciâ, Angliâ, Pannoniâ, innumeris populis ac nationibus, hac expeditionis famâ ad sumendam crucem commotis, repente sic totum Occidentem siluisse, ut non solum bella movere, sed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur. Utinam nunc iterum Sanctus Bernardus, veniens è Cœlo, classicum fidelibus canat! utinam omnes Christiani, vocem Paternam Vicarii Christi ad Sacrum Belum contra Turcas, omnes fideles, maximè Principes, adhortantis adientes, non obdurent corda sua; in æternam animarum suarum peniciem!

Avertat Deus optimus hoc malum à Christianis Principibus? Ludovicum & Conradum æmulatus est Sanctus Ludovici, Francorum gloria, dicam an Sanctis? an verius utrumque? qui in Palestinam, non tantum copias transmissi, sed ipse quasi earum dux, relicto cito solo, & regno, per tot terrarum mariumque spatia, maximis impendiis, laboribus, & cona-

tibus semel & iterum trajecit, ut eam Saracenis extorqueret: & Christianis pristinis hæredibus assèreret: sed cum peccatis fidelium exigentibus, id ipsum quod tanto conamine, & animo, tantaque virtute moliebatur, Regum omnium Christianissimus & Sanctissimus, perficere non posset: mortem tamen, in tam gloriosâ expeditione oppetere non dubitavit, anno Domini 1270. Tunc fidens cygnæum cecinit: Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad Templum Sanctum tuum; & confitebor nomini tuo. Nimirum sic tenet ad astra per aspera virtus. Quin & operis tam Christiani prosequendi & perficiendi decus, filiis postisque suo exemplo, æquè ac testamento reliquit Rex Sanctus. Hac immortalium Regum Christianissimorum gloriam, decet maxime Ludovicum magnum, non modò æmulari, sed etiam exaltare victoribus suis armis, ac novis triumphis, & hæroicis actibus superare. Viva ergo, & eat Rex magnus; factisque magnanimis totum impleat Orientem. Sen-

tiant inimici Crucis Christi, quàm fit, ex utraque parte acutus gladius, Primogeniti militantis Ecclesiæ Filii.

Quid porrò dignius tanti Regis nomine, potentiâ, & virtutibus? quid propugnatori fidei, & hæreticorum miti & forti dominatori congruentius? quàm sævissimum Christianorum hostem debellatum, Regis Regum Christi, jugo subdicere, & ab infami ejus tyrannide innumeros fideles, Dei-Hominis Sanguine renatos afferere in libertatem Filiorum Dei nihil profectò, desiderari potest aptius, nihil inveniri convenientius, nihil addi magnificentius, ad absolutissimam gloriæ illius coronam, atque ad votorum omnium summam, & nostrorum desideriorum apicem; ut cantemus Deo, uni, trino, gloriosè; ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni justitia, castitate, & pietate Christianâ: expectantes beatam spem, & adventum magni Dei, qui reformabit Corpus nativitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ: & tunc suos omnes electos offe-

ret Patri suo, in regnum æternum;
ut sit solus Deus, unus, trinus, om-
nia in omnibus. Amen.

§. II.

O Domine Deus exercituum, in cu-
jus manibus sunt omnium Regum
corda, suscita hunc Sancti Ludo-
vici zelum, in omnibus Regibus &
Principibus Catholicis, præsertim
Turcæ limitaneis, & confinibus: ut
unanimes in tantum opus conspirent;
sed & remotiores excita, omnipoten-
tis gratiæ tuæ motibus; ut in partem
tam gloriosi operis veniant: ac nomi-
natim Sancti Ludovici sequaces, hæ-
redes, & cognomines; ut victricia
arma ab Hæreticis in Saracenos trans-
ferant, ac Francos, cæterosque, otia-
ri, & oscitare nescios, opere tam san-
cto occupent, ne ipsorum ardor, in
bellum vel civile, vel Christianum
accendatur, quo se invicem confu-
mant, turpemque dent maculam in
gloriam suam, ac iram Dei in se con-
citant: quin potius, magnanimus &
martialis eorum spiritus, erumpat si